1634.
34.7.C.21.
20
17
129

IESVS
INTER TORMENTA DEVS
ORATIO
IACOBI LAMPVGNANI MEDIOL.
E SOC. IESV
DICTA AD
S. D. N. VRBANVM VIII.
IPSO PARASCEVES DIE
In Sacello Pontificum Vaticano.



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMAE, Ex Typographia Franciſci Corbelletti. MDCXXXIV.
SVPERIORVM PERMISSV.

EMINENTISSIMO D.

THEODORO
CARDINALI
TRIVVLTIO
S. R. I. PRINCIPI &c.

Iacobus Hieronymus Lampugnanus F.

BREVISSIMA Oratio longè breuiorem deſiderat epiſtolam, vt corpori reſpondeat caput. Quoniam autem, cùm diceretur, concionem habuit, qua nulla eſt in terris

Digitized by Google

auguſtior; ita, dum legitur, ambit in fronte coronam nominis tui. Non potuit Frater meus à Te præſens audiri: exoptat videri abſens, in argumento ſcriptionis tam ſublimi, vt omnem dictionis humilitatem attollat. Ego obſequij communis interpres, communibus votis illam Tibi ſiſto, vt in iſta luce nobilitatis, ac purpuræ, viuat oratio, quæ nata eſt inter tenebras morientis Dei. Vale.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO.

SOEVISSIMA Chriſti Domini cædes, *Iudæis ſcandalum*, *Gentibus ſtultitia*, Sapientibus argumentum eſt Diuinitatis, Beatiſs. P. Neque enim tanta perferre poſset, neque animo tam excelſo, niſi Deus: nec tam pro homine indignata rerum Vniuerſitas quateretur. Vt meritò nutantem demiratus Naturam Athenienſis Iudex, *Deum pati*, certiſſima coniectura pronunciauerit. Nos cruciatum humano maiorem: innocentiam morientis, charitatem, patientiam Deo parem: Mundi exhorreſcentis tumultũ diuino exitio dignum; oratione percurramus celerrimè, memoria diutiſſimè conſignemus. 1.Cor.1

Et primò quidem Epulum ſubita modici panis, ac vini conuerſione apparatur, *habens in ſe omnis ſaporis ſuauitatem*. Quod inſtitui potuiſse haudquaquam adduci poſsemus ad credendum, ſi non illud immenſà Deus po- Sap.16.

Digitized by Google

tentià condidiſset. A cœna properat in Hortum, effloreſcentes iam ibi decerpturus pœnas: quas humanis viribus grauiores ſubodoratus, idcirco *auellitur à ſuis*, vt ſolus ferret.
Luc. 22. Cum ecce *Angelus de cælo confortans eum*. O dolores in ſola vel imagine intolerandos: quando ſerui hortatione quodammodo eget
Pſ. 90. Dominus ille, ad quem ſponte vocantem *flagella non accederent*, niſi increpita. Ergo in terram pronus humeros ſupponit, non Cælo (quod fabulosè potuit Atlas), ſed noſtrorum barathro ſcelerum (cui ſolus eleuando Deus erat): atque intractabili oppreſsus pondere, non humorem exſudat, vt Homo, ſed laxatis venis, ſanguine exundat, vt Deus. Mox in ore Iudæ prægustat mortem, quæ, niſi perſonata ſub oſculo, immortalem reuerita abſtitiſset. At vos, nocturna furiarum agmina, quid faces, quid arma intentatis innoxio? Nonne Deum abunde probat veſter præceps iſte retrorſum caſus, triſyllaba morituri voce progenitus? Non, inſueto naturæ miraculo, repoſita truncato auris? Nimirum obcœcatas ſcelere mentes illuſtrare non potuerunt, quas ſecum multas tulerant, ardentes tædæ. Quare intactis ad imperium Dei diſci-

pulis

pulis, vnum adorti, vincula inijciunt, conſtringunt arctiſſimè, anheli circumſiſtunt, protrudunt, in Vrbem rapiunt triumphantes. Non tu, bone Nazarene, hoſce complexus ſperare potuiſti à cariſſima ſponſa Synagoga. Proh, quam diuerſi nexus ab illis, quos Virgo Mater olim Paruuli lactentis collo inſerebat! Attamen bene eſt: *Funes ceciderunt tibi in præclaris*, vt *manifeſta Dei virtute* captiuus exolueres genus humanum, & mortuus reuocares ad vitam. *Pſ. 15.* *2. Machab: 3.*

Ad Annæ primùm, tum Caiphæ domum pertractus, accuſatur vt impius, depalmatur vt impudens, loquitur vt Dominus, tacet vt innocens, damnatur vt ſacrilegus. ſed nullus eſt idoneus teſtis, quia ſunt plures: palmaris contumelia ſeruit adulationi: loquentem nolunt audire: tacentem ſtimulant: & iniuſtitia debacchante Accuſatores iudicant, Iudex accuſat. Ecquis reliquum nefaſtæ illius noctis profari poſſit? Vos, Aſtra, tuque Aſtrorum regnatrix Luna, dicite, quid vigilantibus oculis in ſceleſtiſſimo vidiſtis atrio: ſi tamen rerum indignitatem auerſata non fugiſtis è cælo. Conſpuitur Diuina facies, munditia paradiſi: conſcinditur pugnis, qui *menſus eſt pugillo* *Iſa. 40.*

aquas,

aquas, & cælos palmo ponderauit : alapis deho-
Hebr.1. neſtatur vultus, paternæ *gloriæ ſplendor* : vela-
tur oculis, qui animorum conſilia retegit, &
omnes introſpicit cogitatus : illuditur, velli-
catur in pilis, cæditur, ſcommatis mordetur:
Luc.22. *& alia multa blaſphemantes dicebant in eum*.
Sed non tam hoſtiles manus corpus lacerauc-
re, quàm Amici infauſta vox, Domini cor
traiecit. Petrus, quem mente numquam ab-
iecit, ore ſæpius abiurat Deum, & ad primos
plebeculæ ſermones abiurat. Scilicet carce-
rem morteſque antè profeſsus, inanem nunc
aëris motum pertimeſcit. Verùm & inimico-
rum inſaniam patientia planè diuina vicit: &
diſcipuli miſerandum caſum erexit charitas.
Deut.4. Quia enim *Deus ignis conſumens eſt*; vel ſola
potuit luce conglaciatum timiditate pectus
vberes in lacrymas eliquare.

Poſt noctem dilapſis è Cælo tenebris, ſed
duplicatis in animo improborum, confir-
mant latam noctu ſententiam de nece imme-
rentis, habita iterum quæſtione, ac renoua-
to ſuffragio, ne ſemel tantùm viderentur in-
iuſti. Itur deinde ad Romanum Præſidem,
Sap.2. non vt iudicet, ſed vt *turpiſſima morte condem-
net* iam ab accuſatoribus iudicatum. Videte
tamen

133

tamen homines Religioſos: ingreſsu Prætorij abſtinent, ne polluantur: cumulum mendaciorum aggerant, vt crucifigant. O verè *ſepulchra dealbata*: nec vos mouet taciturnitas illa Deo digna, quam ſupra hominem Pilatus homo exterus admiratur? moueret ſaltem horrendus Iudæ exitus, qui ſceleris admiſſi nouo ſcelere pœnitens, iam (ſi neſcitis) currit ad laqueum, dirupto atrociter corpore, & diſſipatis fœdè viſceribus teſtatus ſe proditorem Dei: inſigni documento, Aliquando intelligentiæ oculos in pœnam reſtitui flagitio parto, quos, dum conciperetur, ademerat. Ille tamen priùs, malè amatos *retulit triginta argenteos*, quia videlicet vitalis vſque adeo eſt ſanguis Chriſti, vt ne pretium quidem ipſius quamuis iniuſtum, iuſtiſſimæ morti intereſſe voluerit. Ergo Prætor, innocentiæ conſcius, iuſtitiæ impar; cauſam reijcit ad Herodem. At impuriſſimi Regis in aula, Dei Sapientia pro ſtultitia eſt. Retractus ad Prætorem, latroni, ſeditioſo, ſicario poſthabetur Deus: ad columnam loris, virgis, ac ferro, dum totus crudeliſſimè dilaniatur, retinuit ibi, & illud ad ſaxum alligauit fugitiuam generis humani felicitatem. In atrio

Matth. 23.

ſpinis

ſpinis coronatur: irridetur palliaſtro coccineo: arundinei ſceptri leuitate firmatur: adorant per iocum: ſeriò verberant: impensè dedecorant; nempe vt *ſaturatus opprobrijs*, citra mortem, expleret rabiem furentium Iudæorum. Propterea è loco editiore producitur populo, adeo deformatus, vt non agnouiſſent, niſi addidiſſet, *Ecce Homo*. Fortaſse perſuaſerat, ſi dixiſset, Ecce Deus. Sed illi magis efferati, affulgente certa ſpe necis extorquendæ à Præſide excordi; Crucem, Crucem inclamant: donec ablutis manibus, & ore polluto, veriùs iniuſtitiam ſuam condemnat, quàm IESVM, dum virum ſe toties iudice innocentiſſimum damnat. Feciſses vtinam prius, impie, quod tandem facis; mitius multò cum Domino actum eſset. Verùm iniqui Principis vel ipſa miſericordia maximè crudelis eſt Deo. Itaque Cruciarium vni *eorum voluntati*, hoc eſt mille mortibus *tradidit*. Nec mora: impoſito humeris patibulo, latronibus ſocijs, inuidia deducente, feſtinat ad mortem. Accurrite *Angeli pacis*: Aduola Diuina Virgo: Vos, cælum, terræ, maria prohibete facinus. Pœnarum abundè eſt, & quicquid vltra erit, haud Deum decet.

Thren. 3. (margin, beside "decorant")

Luc. 23. (margin, beside "rum voluntati")

Iſ. 33. (margin, beside "nat ad mortem")

cet.

cet. Imò verò, ſi hucuſque *poteſtas fuit tenebrarum*, iam *venit hora*, qua lucis Dominus *clarificetur*: vt idcircò fieri ſe vetet, quia non tam ipſe, quàm noſtrorum immanitas criminum illi ſuffigenda eſt ligno. Luc. 22.

Vbi ventum fuit ad montem, *in quo videbit*, & videbitur Deus; denudatum ingentibus clauis impingunt Cruci: elatum maledictis inceſsunt: ſitientem felle, tum aceto recreant. Nec tonas de ſolio Pater, nec fulmen iacis? Arripuerat ille quidem arma, & intorſiſset. At eleuatis oculis ad Patrem Natus, exarmauit iratum ea dulciſſima voce, Diuinitatis indice, *Pater dimitte illis*. Poſtremùm acclinato in mortem capite, verus obitu patuit Deus. Ecce enim, cùm antè nox tetra medium in diem irrupiſset, continuò turbari ſpectaculi impatiens Natura: diſciſso templi velo intima Cæli nudari: fremere tremereque immobilis tellus: diffringi animata dolore ſaxa: prodire vita è ſepulcris; adeo prodigioſis euentibus, vt Romani, qui aderant milites, in primisque Centurio, *verum eſſe Dei filium*, exclamarint. Sic IESVS extrema atrocitate tormentorum, ſingulari patientia, indignantis teſtimonio Vniuerſitatis declaratur

Gen. 22.

Luc. 23.

Matth. 27.

ratur

ratur Deus, quem vel ab hominum numero
expungere Iudæa
tentauit.

L A V S   D E O.

[illegible] NAZ. ROMA [illegible]